

magno luminari, de quo supra in principio collacionis⁵⁶⁾, et nedum patriam istam, scilicet inclitam Domum Austrie, sed eciam totam patriam, id est christifidelium universitatem. Ne autem vestras paternitates et dominaciones diucius verbis suspendam, quominus intencionem suam obtineant, quia forte dicitis in cordibus vestris⁵⁷⁾: „Adhuc regem non habemus“ et propterea in⁵⁸⁾ *cubilibus vestris compungimini*, ego annuncio vobis⁵⁹⁾ *gaudium magnum, quod erit omni populo*: Prefatus enim serenissimus princeps et dominus noster vestris sanctis monicionibus pariter et exhortacionibus iustisque ac racionabilibus persuasionibus et aliis causis animum sue maiestatis moventibus post habitam desuper maturam, prout expediebat, deliberacionem ad honorem et laudem supremi regis omnipotentis dei, ad exaltacionem fidei orthodoxe ac ad utilitatem totius ecclesie militantis et Imperii pariter et rei publice promocionem electioni de sua, ut premissum est, serenitate modis premissis facte et concorditer celebrate dixit fore consensendum et in nomine sancte et individue trinitatis, patris et filii et spiritus sancti eadem sua serenitas expresse consentit in eandem ipsam laudando, ratificando necnon totaliter approbando realiter et cum effectum, quare nunc universus cetus hic presens poterit ex premissis concludendo sue maiestatis celsitudini dicere: „Ergo rex es tu!“ et eadem regia maiestas habebit respondere: „Tu dicis, quia rex sum ego“⁶⁰⁾.

Propter quod nunc exultet universa turba fidelium⁶¹⁾, exultet denique universus populus Romanum recognoscens imperium, exultet insuper dominium inclite ac precelse Domus Austrie et de tanti principis exaltacione ac sublimacione merito congaudeat orbis universus! Quis⁶²⁾ enim posset amplo famine prepotens^{a)} tanti principis insignia promere, in cuius pectus confluit, quidquid virtutes habent, et non inconvenienter dici potest: quem⁶³⁾ nubes pluerunt iustum, et super eum celi desuper roraverunt? Non Plato, non Tullius, non filii tenebrarum⁶⁴⁾, qui ex ore sedentis⁶⁵⁾ in

a) prepetens Hs.

⁵⁶⁾ Siehe oben S. 168.

⁵⁷⁾ Vgl. Luc. 1, 66.

⁵⁸⁾ Ps. 4, 5.

⁵⁹⁾ Luc. 2, 10.

⁶⁰⁾ Vgl. Dan. 4, 19 und Luc. 23, 3.

⁶¹⁾ Vgl. Petri Bles. Ep. 196, Migne PL. 207, 480: Exsultet in Domino suorum turba fidelium.

⁶²⁾ Petr. de Vin. 3, 44 (I, 458).

⁶³⁾ Vgl. Is. 45, 8.

⁶⁴⁾ Vgl. I. Thess. 5, 5.

⁶⁵⁾ Vgl. Apoc. 5, 13.